



VESTALIS  
ACCEDUNT DUO CARMINA LAUDATA

37m

Litt.

Bibliothèque Maison de l'Orient



171960



# VESTALIS

CARMEN PRAEMIO AUREO ORNATUM

IN CERTAMINE POETICO HOEUFFTIANO

ACCEDUNT DUO CARMINA LAUDATA

EDIDIT

ACADEMIA REGIA DISCIPLINARUM NEDERLANDICA

AMSTELODAMI

MCMXXVII



VESTALIS

ACCEDUNT DUO CARMINA LAUDATA

# VESTALIS

CARMEN

HERMANNI WELLER

ELLWANGENSIS

IN CERTAMINE POETICO HOEUFFTIANO

PRAEMIO AUREO ORNATUM

EDIDIT

ACADEMIA REGIA DISCIPLINARUM NEDERLANDICA

AMSTELODAMI

MCMXXVII

## VESTALIS.

---

Jam super Eoas radiabat Lucifer oras  
Extremumque silens nox peragebat iter.  
At nondum populi resonabant compita voce  
In domibusque quies et sopor altus erat.  
Picta silebat avis, tantummodo fonte perenni  
Unda susurrabat desilientis aquae.  
Stabat honoratas vitta praesignis ad aras  
Claudia, Dardaniae serva pudica deae.  
Luminibus tremulis implens venerabile templum  
Stridebat placido flamma corusca sono.  
Tactaque divino supplex horrore sacerdos  
Haec dedit ad castam cum prece verba deam:

“Nunc tandem, dea sancta, tuam dimitte ministram,  
    Quae tulit optatum per rata lustra iugum.  
Quod tibi formosi spatium devovimus aevi,  
    Accipe: tu florem virginitatis habe.  
Ecce tuis tulimus sacrum, quod possumus, aris:  
    Iam ne sperne meas, diva benigna, preces.  
Tu rude donatae quae nunc parat ire ministrae  
    Annue, legitimae da veniamque fugae.  
Crede, volens nivea cinxi mea tempora vitta  
    Et colui sanctos prompta libensque focos.  
Quaeque mihi longis tribuisti munera lustris,  
    Haec repetam grato pectore cuncta memor.  
Gratia, Vesta, tibi: quae nos de sordibus urbis  
    Eripis intactas, in tua regna vocans,  
Eque voluptatum segni nos abstrahis aura  
    Ad rigidum priscae simplicitatis opus.  
Gratia sit flammae: quae nos horrore severo  
    Imbuit et mentem quaerere sancta iubet:  
Scilicet ipsa memor patriae vaga flamma supernae  
    Appetit aetherii lucida templa poli.  
Pura micans, quaecunq̄ nocent, mala semina perdit  
    Et loca munifico lumine cuncta beat.

Omnia, Vesta potens, radianti luce tueris,  
Fecunda populum prosperitate fovens.  
Morte carens mortale genus non spernis, amica  
Terrigenûm tectis hospitioque fruens.  
Tu posses totas evertere viribus urbès  
Indomitis: vires tu tamen ipsa domas.  
Nos quoque sic nostras docuisti vincere flammæ:  
Suppressique ignes continuique meos.  
Nos quoque, da veniam, miros iam sensimus ignes,  
Senserunt Paphias hæc quoque corda faces.  
Cor tenerum flos mollis erat, non ignibus aptum  
Talibus: in templo tutius illud erat.  
Nunc flos iste valet, castas firmatus ad aras,  
Nec gravis huic flori Sirius ardor erit.  
Ergo, Vesta, tuæ liceat discedere servæ —  
Annuis: ah facilis tu mihi semper eras.  
Tu mihi, diva, faves: puros tutaris amores,  
Perpetuo sanctos protegis alma lares.  
O salve dea sancta mihi semperque colenda:  
Inceptisque fave, candida Vesta, meis".  
Dixerat et genibus castas procumbit ad aras  
Virgo sancta, pio numen honore colens.

Digrediturque focus, quos tot servaverat annos  
Quot iubet Iliacae lex reverenda deae,  
Molliter incedens, albo praesignis amictu  
Claudia divino laeta decore nitens,  
Claudia candenti similis splendore columbae,  
Quae petit optatos non retinenda lares.

---

Non procul a Vestae templo niger arbore lucus  
Et pictus variis floribus hortus erat.  
Aspiciens virgo telluris sidera flores,  
Laetitiam sensit pectore sancta novam.  
Iam nitidus Phoebi pelago surrexerat orbis,  
Et locus aetheria luce serenus erat.  
Et velut auratis effulsit frondibus arbor,  
Aurea sole novo quaelibet herba fuit.  
Cumque suo iam iam splendesceret uva colore  
Autumnusque suas iam daret almus opes  
Sidereaque facis fieret iam mollior ardor  
Caecaque nox spatio lucibus aequa foret,  
Ver tamen esse nova natum cum luce putares:  
Haud aliter pinguis luxuriavit humus.  
Cana fatebatur numquam vidisse senecta

Tale racemifero tempore Solis opus.  
Nec violae derant, verni pia lumina campi,  
Pallentisque fuit floris amoenus odor,  
Purpureaeque suas spargebant molliter auras  
Per loca dissimili nectare plena rosae.  
Picta quot Iris habet, tot habebant prata colores,  
Aërii pura consita roris aqua  
Et quasi iuncturae recidivi foedus amoris  
Fundebant volucres carmina laeta pia.  
Omnia numinibus divinis plena putares,  
Terraque ridebat festa decore novo.  
Aure bibit blandas voces oculisque colores  
Claudia, divino capta nitore loci;  
Perfusumque nova cepit dulcedine pectus  
Cum desiderio gaudia mixta pio.  
Autumnale solum vernas produxerat herbas:  
Dulcis in illius corde revixit amor.  
Ut rosa post longas nocturni temporis horas  
Luxurians flores explicat alba suos,  
Roris ubi maduit fecundo sparsa liquore  
Et Phoebi radiis est calefacta novis,  
Sic cor virgineum flammis effloruit ictum

Phoebi sidereis Idaliisque simul.  
Atque subit iuvenis praeclari dulcis imago,  
    Qui clandestini causa caloris erat,  
Qui quondam tenerae succenderat ima puellae  
    Pectora, sed vulnus ceperat ipse ferum.  
Festa reditque dies, qua cum victricibus armis  
    Inque coronato nobilis ibat equo,  
Legatus magnique comes ducis, ipse triumpho  
    Dignus, et exuvias signaque capta ferens.  
Compita laetitiae resonabant vocibus Urbis,  
    Ornabant cunctas florea sarta vias.  
Hic fuit ille dies, tectum quo fassus amorem,  
    Et dedit et sensit vulnera saeva simul.  
Finierant pompas: umbrae cum dulcibus auris  
    Venerunt, pulsa nox venit uda die.  
Miles ad optatos rediit furtivus amores,  
    Ad sua quisque domum pignora cara redit:  
Caelius ad solos rediit post festa penates,  
    Ad Vestae sanctos Claudia sola focos.  
Ah nimium duras statuisti, Troica, leges,  
    Vesta, sed ah poscis tu quoque iure fidem.  
Et flagraturum suppressit fortiter ignem

Illa: sed in casto pectore semen erat.  
Semen erat vivum, scintillula parva, sed unde  
    Prodiret quodam lucida flamma die. —  
Talia tum laetoolvebat Claudia corde  
    „Ultima militiae meta” que dixit „adest:  
Iam quotcunque potes, tellus, tot funde colores,  
    Indue regales, Flora benigna, sinus.  
Iamque renascentis, violae, date veris odores,  
    Iam date, nectareae, lumina pulchra, rosae.  
Laetitiae reserate fores, mea pectora: lauro  
    Sancta triumphali tempora cingat Amor”.  
Dixerat adque viam celebrem processit; et inde  
    Lectica fertur, quo cupit ire, cita.  
Obductum velamen erat; semota tumultu  
    Claudia iam secum sola sedebat amans.  
Saepe tremor subitus pertentat pectora, saepe  
    Corda pudore micant virgineoque metu;  
Mira tamen superant suspensam gaudia mentem,  
    Dulcis et in molli corde triumphat amor.

---

Thybridis undosi nitidae contermina ripae  
    Praedia deliciis splendida ruris erant.

Fetaque ridebant gratis pomaria donis  
     Et flores hortis lumina mira dabant.  
 Villaque frondosis suberat circumdata myrtis,  
     Ampla; dabant placidas xysta decora vias.  
 Hac in sede vacans degebat Caelius omni  
     Munere, iam tacite rura paterna colens,  
 Caelius insignis quondam felicibus armis,  
     Iam suus ac sapiens munificusque dator. —  
 Iam vaga laetorum decesserat unda clientum,  
     Totaque erat dulci mersa quiete domus.  
 Caelius autumnii fruiturus luce benigna  
     Exiit et suavem constitit ante lacum.  
 Squamigeræ gentis ludos et sole nitentes,  
     Multa movens animo, despiciebat aquas.  
 At subito claros latices percurrit imago  
     Alba repercussæ vestis: et ipsa venit,  
 Iliaci tutela foci, platanique sub umbra  
     Constitit et palmis pectora saeva premit.  
 Respicit attonitus: iam nil nisi „Claudia” dicit,  
     „Claudia, tunc mihi cara iuventa redis?  
 An dea, quæ statuit mortalem visere gentem,  
     Heu post exiguas effugitura moras?”

Dixit et implicuit dilecto brachia collo  
Et fronti lacrimans oscula casta dedit.  
Iamque e complexu pectus dimittit amatum,  
Addicitque deae, quod fuit ante deae.  
Quique diu luctatus erat, certamine duro  
Victor abit: pectus vicerat ipse suum.  
Obstupuit primo tristi percussa dolore  
Illa, sed accipiunt vim pia corda novam:  
Virginis intactae sensim iam transit in ima  
Pectora magnanimi vis generosa viri.  
Nec iam coniugii dulces exoptat honores:  
„Sanctus, ait, semper nos bene iunget amor”.  
Ut festum peraguntque diem geniale fugacem  
Inter odoratas, sole nitente, rosas.  
Dulce queruntur aves: sed fortia corda dolorem  
Vicerunt: animos mulcet amica quies. —  
Dumque sedent viridis grato sub tegmine myrti,  
Sol cadit — et Phoebi flammeus ignis erat —;  
Caelius extremo perfusos lumine flores  
Spectat et immoti stagna quieta lacus,  
Ipse velut praesens autumnii mitis imago,  
Matureo cincti munere dulce caput:

Mitis honorabat nitidam sapientia frontem  
Sparsaque matura tempora canitie.  
Amplexusque manu iam dextram virginis albam  
Talia submisso rettulit ille sono:  
„Est Cnidus, urbs Veneris: Philus illa vixit in urbe,  
Cui candore fuit clara columba, puer.  
Ille piam volucrem tenero mulcebat amore  
Et secum nitidam semper habebat avem.  
At monet in somnis puerum Venus ipsa rogatque:  
„Da mihi, quo tibi nil carius esse potest”.  
Flet Philus, obsistit primo, vix denique paret,  
Atque dedit Cnidiae munera cara deae.  
Aeditui summa volucrem pietate fovebant:  
Sed desiderio tabuit ille fero.  
At quondam revolavit avis puerumque revisit  
Illius inque umero dulce resedit onus.  
Ac primo Philus exsultat volucremque salutat,  
Gaudia sed sentit praeteritura brevi.  
Nam quod erat sanctum pignus divisque dicatum,  
Ut pius, id non iam credidit esse suum.  
Nec mora restituit templo Venerique columbam,  
Dilectae volucris tempus in omne memor”.

Desierat narrare. Diem iam merserat umbra  
Purpuream, florum lumina pulchra fugans.  
Ultima cum castis amplexibus oscula iungunt,  
Digreditur dicto Claudia saepe vale.  
Disiunctos quoque iunxit amor sincerus, at ille  
Purior et vere sanctior ignis erat.

---

Nox erat. Ad Vestae flammam cum virgine summâ  
Stabat inextinctas Claudia casta redux.  
Flent ambae. Cohibet lacrimas iam Claudia victrix,  
Divinusque oculis fortibus ardor inest.  
Numina Dardaniae sentit caelestia divae:  
Sanctior et multo Claudia maior erat.  
Purpureo perfusa piae stat lumine Vestae,  
Flammaque dat placidos irrequieta sonos.  
An, vaga flamma, tuos sonitus mihi dicere cantum  
Fas erit? An vates carmina mira canis,  
Magnanimum forti laudans in virgine pectus,  
Quae vicit sese fataque dura simul?

---

PROPE GALAESUM.

# PROPE GALAESUM

CARMEN

ADOLPHI GANDIGLIO

FANESTRIS

IN CERTAMINE POETICO HOEUFFTIANO

MAGNA LAUDE ORNATUM

EDIDIT

ACADEMIA REGIA DISCIPLINARUM NEDERLANDICA

AMSTELODAMI

MCMXXVII

## PROPE GALAESUM.

---

Limite par iuvenum collino leniter ibat.  
Non uni cuivis alter nisi corpore grandi  
adspectu primo dispar erat: ore, quod agris  
argueret natum, sed quo nil suavius esset,  
si intentos oculos insueta luce micantes  
sustulerat, testes penitus placidaeque piaequae  
mentis nec quicquam parvum aut vulgare putantis.  
Alter, quem paulo scires aetate minorem,  
pinguior ast idem festivus homuncio prorsus,  
saepius huc illuc nigros iactabat ocellos  
mobilis et gestu vehemens et plurima nictans.  
Dissimiles facie, similes tamen indole recta

pridem apparebat coniunctos vivere vere  
fraternis animis.

Longe lateque vagatos,  
qua libitum fuerat solis reptare per agros  
et per confertis gaudentes frondibus umbras,  
tunc autumnalis dudum pars nona diei  
acta domum molli clivo referebat amicos.  
Attamen, alterius fruitur dum vocibus alter,  
saepe resistebant mirantes quidlibet ambo:  
nunc mussantis aquae muscoso tramite cursum,  
nunc rubras fruticum bacas rarasque corymbos,  
quique morabantur, cum iam pratum omne vireret  
unicolor, flores in opaco margine seri.

Nec non cum gressu vocem quandoque premebant  
intentique diu stabant, seu quis prope pastor,  
pellitis ovibus circum tondentibus herbas,  
incultum querula cantum fundebat avena,  
seu nuper silvis deductus erithacus altis  
tenuia persultans iterabat sibila vepre.

Ecce repentino sinuatur semita flexu,  
forte ubi non arbos oculis, non scrupeus agger  
officit, et late prospectus in omnia liber

panditur. Excurrit cultis distincta virectis  
 ac nitidis villis procurvi litoris acta:  
 inde patet mire tranquillis fluctibus aequor  
 caerulea caeruleo miscens confinia caelo.

Hinc ridet passim vestitus vitibus Aulon;  
 hinc qua cupressus nigror, qua pallor olivae  
 planitiem variat pometis undique laetam.

Turres adverso procul ardent sole Tarenti  
 interlucentis supra pineta Galaesi.

„Quam cuperem — subito suspirans iunior inquit —,  
 quam cuperem, Publi, tecum cumque hospite caro,  
 qui fors nunc, posita trichilae sub fornice mensa,  
 increpat immemores nimium nimiumque morantes  
 convivas, placidam latebris his abdere vitam  
 agrestum studio Musarum deditus uni!

Quod mihi si cupido, dum vos sinus occulet ambo  
 hic et te quaerent adsueta Neapolis arva,  
 non licet esse simul, vel ad idus usque manere  
 natalemque tuum tecum celebrare liceret!

Nunc ingrata trahunt me scribae munia Romam  
 dulcibus heu! longum cariturum tempus amicis”.

„At non blanditiis Cinarae, reor, improbe, pulcrae....”

Sic Maro; cui Flaccus: „Di faxint — subicit — illam,  
a qua discessi, rediens nanciscar eandem,  
neve, semel saltem, discordent forma fidesque!”

„Quid, quod — Vergilius — cras — instat — mane  
profectum

alter te vesper Venusino sistet in agro?”

Illi tum quiddam subridens Flaccus amarum:

„Immo, ait, hinc patriam properus velut hospes adibo.

Nam mihi quid superest ibi, cur transcurrere nolim?

Non pater occurret laetus, non Pullia noto

e lare, me longe viso, ruet osculaque inter

et risum lacrimans lacrimas tergebit alumno....

Tu quoque iam nusquam terrarum es, garrule Flavi,

qui mihi complexus parvo et dare crustula blandus

spemque tui ludi tibi me spondere solebas,

nescius ausurus quid mox foret ille coactor.

Aut ubinam vitam tecto fundoque paterno

exutum tolerare putem, modo vivat, egenam,

qui noster tam comis erat vicinus, Ofellum?

I nunc, quaere redux vultus, Venusine, tuorum:

nullos agnosces iam nullis agnitus ipse”.

Hic Maro continuo, penitus commotus: „At illa

agnosces loca, quae memori tibi pectore numquam  
exciderunt. Puero quondam risere beato,  
ridebunt eadem iuveni. Non occidit omnis  
ille puer: sopitum intus geris inscius: exci,  
discutiet somnum. Negitas incredulus? Atqui  
qua te perfundi memini dulcedine nuper,  
ut primum Minuci via nos excepit ab Appi!  
Coepit enim *ex illo montes Apulia notos*  
*ostentare* tibi. Quam laetas ore dedisti  
dein voces (Maecenati quae causa iocandi  
plurima), personuit tibi cum celer Aufidus aures!....  
Sic tu; nos tantum frustra captare sonorem.  
Quid, tua cum parvi tanges cunabula, Quinte?  
Ipsi Bantini saltus et Voltur et ille  
nidulus adfixus celsis Acherontia saxis  
(nomina saepe tibi teneo memorata situsque),  
illae te myrtus, illae, mihi crede, palumbes  
dulce salutabunt reducem. Remeare parumper  
dilapsos annos primumque videberis aevum.  
Felicem te, Quinte! Iuvat, iuvat et brevis error  
mentis hic, in vitaeque aequos nos dura remittit.  
O qui dilectis et me deus Andibus olim

reddat paulisper, lentis ubi murmurat undis  
inter harundinibus molles et gramine ripas  
Mincius et niveis gregibus celebratur olorum!  
Verum, qui patriae fines exterritus armis  
exsul inops fugi, maior quandoque revertar  
vosque, parentales, placabo denique, Manes,  
inferiasque feram. Qui cessi victus et exspes,  
suppeditet modo vita mihi et bonus adsit Apollo,  
victor *Idumaeas referam tibi, Mantua, palmas.*  
Quin ego tum longo fessos errore Penates  
(si pia sunt, precor haec faciant rata vota potentes  
caelicolae) sistam veterique in sede reponam.  
Sic melius monumenta inter cognata senescam  
et popularis humus levior mea conteget ossa”.

Dixerat haec lacrimis oculos madefactus obortis  
Vergilius, tremuitque pio vox ultima vati.  
Interea campis celerant, iam colle relicto,  
atque viae fini non tantum mente propinquant:  
altius Oebalias cernunt nunc surgere turres  
supremi roseo percussas lumine solis.  
Inde diu Flaccus servata silentia rumpit:  
„Di tibi dent faciles, Publi, quaecumque precaris;

sed mea condicio est alia ac tua, cui datur esse  
iam rure adsiduum atque urbem nescire molestam.

Parthenope te dulcis alit florentibus arvis  
argutaeque docent iucunda poëmata nymphae:  
ringentem dura vincit me compede Roma  
et scurras atro subigit describere versu.

O tunicata quies! o nec mihi sordida ruris  
otia! Quando et ego haec voti damnatus apiscar?

En umquam vitreos amnes silvasque salubres  
agricolasque canam mutato carmine divos,  
ne mea non aliquid resonet tibi, Tityre, Musa?

Certe, si quando me quilibet angulus aegrum  
excipiatque fovens donetque quiescere lasso;  
sicubi direptum mihi nidum forte refingam  
atque renascantur, quod iam sperare iubemur,  
praecipiti rerum decisae turbine pinnae,  
illuc Bandusiae fontem et, quae parvus amavi,  
omnia mente feram, nec divos plura laccessam”.

Hic paulum tacet; elata dein voce renidens:

„Non patria est, ubicumque bene est?” — „Ita,

Iuppiter! inquam”:

sic prope nescio quis Flaccum interfatur. Uterque

respiciunt: illis ignotus rusticus adstat  
 fasceque lignorum, quem gestat, curvus et aevo.  
 Is tamen, ante queant quam vates hiscere quicquam,  
 praegreditur citus et confuso murmure secum  
 usque loqui pergens momento temporis altam  
 post saepem latuit, nisi quem devertit in hortum.  
 Tum Maro: „Morosum caput!” inquit et ilicet: „Immo —  
 Flaccus ait — cerritus homo est”. Mirantibus atque  
 suspensis notae vocis sonus impulit aures:  
 „Heus! iam nox instat: quid sic tardastis, Horati?  
 Quam dudum decoctum olus esse putatis? Adeste  
 huc tandem. Quamquam rabidos errore moraque  
 placare ut stomachos possetis, plenior esse  
 Coccei villa debebat villula nostra”.  
 Talia dicenti: „Paulum ne, Tuca, graveris  
 insuper indulsisse morae mihi — Publius inquit —,  
 neu speres crudum pariter lippumque voraces:  
 vidistine senem modo passu hinc ire citato  
 fasce gravem curvos umeros sed non....” — „Ego vero  
 vidi — Tuca refert media inter verba rogantis —.  
 Novi hominem. Nosces et tu creberque revises:  
 nam tibi tempus erit, nec abest procul ipsius hortus


non bonitate soli sed felix arte colentis.

Iuguribus Cilicem paucis immensa profundi  
mutasse aequo animo disces casulaque paronem  
omnivagum et patria patriam. Sua poma favique  
et flores nunc cura senis. Mirabere, credo,  
maiores fortuna animos". Tum Flaccus: „Age, audin?  
Cuius ego adspectum sani vix esse putavi,  
barbarus exemplo nobis est, optime Publi,  
quae non corrigere est, fieri leviora ferendo”.

Adnuit adridens tacite Maro; iamque pusillum  
succedunt tectum Tuca praeunte poëtae.



ARVERNUS.



# ARVERNUS

CARMEN

ADHEMARI D'ALÈS

PARISINI

IN CERTAMINE POETICO HOEUFFTIANO


MAGNA LAUDE ORNATUM

EDIDIT

ACADEMIA REGIA DISCIPLINARUM NEDERLANDICA

AMSTELODAMI

MCMXXVII



## ARVERNUS.

---

Quis pater Arvernus fuerit, res ardua nosse.  
Quippe hominum genus incertum, sine semine natum,  
Ut quidam perhibent, nec mas nec femina cretum.  
Quod vix crediderim: narratur frivola gratis  
Fabula. Sed durum restat dissolvere nodum.  
Contendunt alii quondam nigrantia saxa  
Montibus e patriis igni propulsa per auras  
Inque solum revoluta, hominum sumpsisse figuras;  
Accrevisse animas nomenque autochthonas illis.  
Indigenis ea fama placet; cupidique probare,  
Hospitibus monstrare solent crateras hiantes  
Quos prolem humanam valido in sublimia iactu  
Eructasse ferunt. Vidi crateras; et odi

Rumorem expertem frugis, sine teste vagantem  
In vulgus. Credant quibus insunt saxea corda,  
E saxis hominum permolles perque venustas  
Enasci potuisse et adhuc sobolescere formas:  
Tam nova res Ovidi Nasonis carmina vincit.  
Quod si deficient formae argumenta, licebit  
Appellare viros, arvernae lumina gentis:  
Te, Vercingetorix fortissime: te quoque, Pascal,  
Humani decus ingenii: divinior intus  
Mens aluit, nil tale tulit terrestris origo.  
Sunt quos pulvereas delectet volvere chartas.  
Si qua fides priscis monumentis, primus ab aevo  
Arvernus, princeps generisque et nominis auctor,  
Massiliae in portu saccos vectare solebat  
Anthracis, et naves onerabat semine flammae,  
Quo per solliciti ferverent aequora ponti.  
Praepollens humeris, fundatus cruribus amplis,  
Anthracis ad talos a vertice concolor, ipse  
Anthracinus totus. Necdum Phocensis ad oras  
Massiliae appulerat, necdum Sidonia classis  
Littus in Hesperium merces spargebat eoas:  
Iam lumbis aderat praesto validisque lacertis



## ARVERNUS.

Arvernus pater, atque operam mercede locabat  
Quanta maiorem nulli concederet ultro  
Institor. Accidit, heu! — vitii quis funditus expers? —  
Accidit — haud mirumst — ut vespere largius aequo  
Membra mero refocillaret. Dum solus oberrat  
Huc illuc titubans, pedibus manibusque solutis,  
Occurrunt lepidi peregrina de rate nautae:  
Observant hilares hominem, deducere certant,  
Furtim detrudunt loca in inferiora carinae.  
Mane ratem solvunt, pelago immittuntur aperto.  
Mirari Arvernus iam sobrius: inclamare;  
Insuper effundi truculenta in iurgia: velle  
Protinus exponi; caelum, maria obtestari:  
Nequicquam; numero oppressus plagisque quievit.  
Infelix fuit illud iter: perflantibus austris,  
Navis delata est ad inhospita littora. Saevi  
Regnabant homines, humanae carnis edaces:  
Afrine Oceanine an verius Americani,  
Scire parum refert. Quid enim? Cena ampla paratur;  
Transfixos verubus cunctos ex ordine nautas,  
Rectorem atque ducem, bene coctos, turba comedit.  
Exitus eiectis idem vitaeque viaeque.

Ex omni numero Arvernus superexstitit unus,  
Accubuitque epulis laetus conviva ter unctis,  
Ut niger et nigra de gente nigerrimus ipse.  
Germanum civem populus complectitur omnis;  
Ipse suam despondit ei rex sponte puellam.  
O nimium cupide taedas aggresses iugales!  
Is, quo candidior sponsae appareret amoena,  
Abluit os: hinc est simul agnitus, assus et esus.  
Quo tamen ex casu, vitae documenta sodales  
Haud spernenda trahunt: nam, ne quod forte periculum  
Ex oris candore creet sibi cognita virtus,  
Iurati statuunt illoti vivere. Verum  
Res liquido monstrat non illum iure parentem  
Arvernus tribui qui vulgo dicitur. Huius  
Curriculum vitae sat claret: quippe voratur  
Innuptus, nec progeniem sibi vindicat ullam,  
Cuius legitime sit factus eponymus heros.  
Unde alias tentare vias ratione monemur,  
Stemmata si liceat celebratae evolvere gentis.  
Quis pater Arvernus fuerit non nomine, sed re,  
Quaeritur a doctis, et adhuc sub iudice lis est.